Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Manuscripta Rhenaugiensia - Cod. St. Blasien 33 bis 37

[Pars I] - St. Blasien 33

Hohenbaum van der Meer, Moritz

[Südschwarzwald, St. Blasien], [2. Hälfte 18. Jh.]

Abschrift der Urkunde des Konstanzer bischöflichen Vikars Johannes Linck vom 15. November 1446 über die Exhumierung der Findansgebeine

urn:nbn:de:bsz:31-46488

Visual Library

Instrumentum Exhumationis
Corporis S. Fintani.
A°. 1446. 15. Nov.

Vicarius Rdmi in Xo Patris et Dni Dni Heinrici Dei et Apostolicae Sedis gratia Epi. Constantiensis et Administratoris Curiensis Ecclesiarum in Spiritualibus Generalis. Venerabili et Religiosis in Christo Domino Abbati et Conventui Mrij in Rinow, ordinis S. Benedicti Constantiensis Dioecesis p. Salutem in Domino. Gloriosus Deus in Sanctis Suis, et in Maiestate mirabilis, cuius ineffabilis altitudo prudentia mire inclusa limitibus, nullis terminis comprehensa, recti censura Judicij, coelestia ac terrena disponit,# altis decorat honoribus, et eterne efficit beatitudinis possessores, et propterea illos uberiori retributione prosequitur, quos ingentior comendat excellentia meritorum. Sic et alma Mater Ecclesia ipsius sacra vestigia prosequens, et exemplo ducta laudabili, universos in regnis coelestibus constitutos, studijs honorare solicitis, et honoris efferre praeconijs non desistit, ut quod eiusdem S. Matris Ecclesiae filij, nulla sua virtute subsistentes propriis meritis non valent, eorum pijs intercessionibus consequendo annumerentur. Cum igitur ut vestri parte laetitia non modica exultantes accepimus, corpus et reliquias incliti confessoris Sancti Fintani, dicti vestri Monasterij abolim, ut fertur, collapsi, pii Reformatoris et Reparatoris, diu in abscondo posita, Domino Credimus volente, revelata, et per vos inventa et exhumata existant. Nos Sanctorum Patrum traditiones sincero affectu imitari, et in libro vitae scriptorum venerabiles Reliquias congruo honore

et cunctos eius ministros magnificat,

Instrumentum Exhumationis.

N. 13.

attolli desiderantes, ut Pater Misericordiarum eorum
Patrocinijs et meritis nos, qui in huius valle miseriis undiqz
in praesentiarum malis et pressuris heu constituimur et
ferremus, ab his liberet et protegat. quia et ipsius S.
Findani Sancta, virtuosa et probata vitâ, Signisqz et
miraculis varijs, quibus in dicto vestro Monasterio corrus-
care, et devote inibi confluentibus se propitiu ostendere
comprobatur, ac Canonizationis Sui Sanctae Sedis Apos-
tolicae auctoritate facta, tam ex eius legenda, quam et
documentis alijs fidis et Sufficientibus plene edocti, his,
et vestris in ea parte pijs votis moti, ad laudem et glo-
riam Divini nominis, orthodoxae fidei exaltationem,
fideliumqz devotionis et Salutis Salubre incrementum,
Corpus et Reliquias praedicti Sancti Findani Solemnitate,
qua congruit, extollendi, Sarcophagis imponendi, ac de
loco, in quo reperta sunt, ad alium vestri Monasterij lo-
cum magis reverenter honestum transferendi, et apud
alias Reliquias inibi reconditas collocandi, auctoritate
ordinaria in Nomine Domini Nostri Jesu Xsti humaniter
concedimus et indulgemus praesentium serie litterarum;
proviso tamen, ut infra limites dicti vestri Monasterij
Corpus et Reliquiae huiusmodi maneant. Inde enim
eas transferendi vobis potestatem omnimodam denegamus.
In quorum fidem et testimonium praemissorum, praesen-
tes nostras litteras exinde fieri, nostriqz Sigilli officij
fecimus appensione muniri. Datum Constantiae Anno
Domini Millesimo quadringentesimo quadragesimo Sexto,
Mensis Novembris 15. die, Indictione 9.

Joannes Linck p.

De capsa cuprea aurata,
In qua post Exhumationem Levatum est
Caput S. Fintani.

Priori chronotaxi Exhumationis S. Fintani opponi po-
test inscriptio, quae reperitur in imo capsae cupreae auratae, Vide delineationem eius ad calcem.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Baden-Württemberg